


## **Dissertatio Inavgvralis Ivridica, S. R. I. Principvm Protestantivm Ivre Svpremae Inspectionis Generali In Sacra Et Politica Germanice**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1757]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn890386021>

Druck Freier  Zugang



13

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA;  
DE

S. R. I. PRINCIPVM  
PROTESTANTIVM IVRE  
SVPRMAE  
INSPECTIONIS GENERALI IN SACRA  
ET POLITICA GERMANICE:

Von der Landesherrlichen Oberaufficht,

QVAM,

SVB AVSPICIIS DIVINIS ET CONSENTIENTE  
AMPLISSIMO IVRE-CONSULTORVM ORDINE,  
PRAESIDE,

DN. ERN. IO. FRIED. Mantzeln,

SEREN. DVVIS REGN. MECKL. CONSIL.  
ET PAND. PROF. ORD.-COM. PAL. CAESAR. FAC. IVR. SENIORE  
ET AD HVNC ACTVM DECANO,

STVDIORVM SVORVM PROMOTORE  
HONORATISSIMO,

A. O. R. M. DCCLVII. DIE III. MAII,  
H. L. Q. C.

PRO SVMMIS IN VTROVQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS,

IN ALMA PATRIA,  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVIGATIONI  
SVBMITTIT,

AVCTOR

THOMAS SPALDING, ROSTOCHIENSIS.



19. ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.



A  
SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR  
**F R E D E R I C**  
DUC REGNANT  
DE MECKLENBOURG  
PRINCE DES VANDALES, DE SUERIN  
ET DE  
RACEBOURG  
COMTE DE SUERIN  
SEIGNEUR DES TERRES DE ROSTOQUE  
ET DE  
STARGARDE;

# MONSEIGNEUR

**P**enetré du desir de rendre à *VOTRE ALTESSE SERENISSIME* un temoignage public de ma très profonde soumission, je prens la liberté de *LUI* presenter ce petit ouvrage, dont le sujet a du raport aux droits incontestables de tous les Souverains.

De tant d'avantages, dont ma patrie jouit du premier moment que la Providence a remis à *VOTRE ALTESSE SERENISSIME* le soin de la gouverner, ce n'est pas le moindre de pouvoir traiter librement des choses, même où il va de *SON* interêt.

*Guidée par l'Equité, cette vertu si excellente dans les Princes : aussi jalouse de maintenir les prééminences de SA Dignité, que de conserver dans son entier le dépôt que la Puissance éternelle LUI a confié, VOTRE ALTESSE SERENISSIME fait mettre de justes bornes à SA Puissance aussi bien qu'à SES Droits.*

*Sur de ne m'être pas écarté, pour peu que ce soit, de la plus exacte impartialité ; j'ose mettre ces prémices de mes veilles aux pieds de VOTRE ALTESSE SERENISSIME.*

*Que mon sort seroit à envier ! si VOTRE ALTESSE SERENISSIME daignoit regarder cette entreprise autant comme l'effet du devoir d'un sujet très fidele & très soumis, que du très respectueux devouement, que j'aurai sans cesse pour SA PERSONNE AUGUSTE.*

*Heureuse ma Patrie ! si Dieu le tout puissant lui accorde la grace de prolonger les jours précieux de VOTRE ALTESSE SERENISSIME. Que n'a-t-elle pas lieu de se promettre d'un commencement si distingué.*

*Je supplie VOTRE ALTESSE  
SERENISSIME d'agr er cette protestation  
publique que je fais de mes sentimens pleins du  
Respect et du zele avec les quels j'ai l'honneur  
d' tre*

*MONSEIGNEUR  
de  
VOTRE ALTESSE SERENISSIME*

*  Rostoque  
ce 30 d'Avril l'an 1757.*

*le tr s humble, tr s ob issant  
et tr s fidele sujet et serviteur*

**THOMAS SPALDING,**



## PROLOGVS.



uum juxta *L. 2. §. 43. D. de orig. Juris turpe sit Patricio & nobili, & causas oranti, jus in quo versatur, ignorare*; Ego quoque, ante semestre, & quod excurrit, ex Academia Georgia-Augusta, ubi, per Patris ad cineres usque devenerandi munificentiam, quinque semestria commorari licuit, in Patriam redux, meum esse duxi, civitatis patriæ prærogativas penitus  
A 2
intueri

intueri, & in origines earum inquirere. Incidi quoque in Tractatus, qui Trāsactiones de annis 1573. & 1584. præcefferunt. Hæſitavi, quum Magistratum Rostochienſem Inſpectioni Principum ſupremæ obluſtatum legerem. Diu miratus, tantam privilegiorum ſuorum fiduciam, catalogos evolvi, ut Diſſertationem aliquam, vel Tractatum de Inſpectione ſuprema conſulerem. Sed, qui ex profeſſo eam explicuerit, neminem reperi. Commodum illico viſum eſt Thema, quod Diſſertationi, quam meditabar, inaugurali inſerviret. Sed calamo vix arrepto arctiores vidi Diſſertationis limites, quam qui ampliffimam hanc materiam caperent. Perſtiti tamen in conſilio ut mea qualis qualis opera ingenium aliorum excitaret, Tu ergo L. B. Diſſertationem hanc, publici tantum conſultus gratia propoſitam, benigno excipias animo. Vale faveque.



Q. F. F. Q. S.



Q. F. F. Q. S.

§. I.



Imperii nostri Romano-Germanici Principes, exceptis Mecklenburgo - Pomeranis, initio quidem administratoriam tantum gessisse personam, ast, temporis demum successu, ad eum, quo hodie coruscant splendoris gradum, adscendisse, mihi quidem extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur. Vid. STRUVENS Kurzer Begriff teutscher Reichs: Historie Sect. IV. §. 37. ubi: Diese Herzöge brachten es so weit, daß ihnen Conradus, dieweil er ihnen nicht gewachsen war, ihre vormahls zu regieren anvertraute Herzogthümer erblich und zu eigen überlassen mußte, & porro, daß also die Herzöge aus Kayserlichen Officialen und Gouverneurs, wie sie vormahlen waren, nunmehr erbliche Herren ihrer Provinzen, 2c. 2c. Summorum Magistratum munere fungebantur, nec omnino, quidquid in contrarium moliatu Casarinus Fürstenerius, jure perpetuo tenebant sublimia sua officia, pro quorum diversitate alii Ducum, alii Comitum, vel Palatinorum, vel Land-

Landgraviorum, vel Marchionum nomine erant insigniti. Vocabantur ad Comitatus, sed Reges vel Imperatores voto eorum consultativo utebantur, decisivo adstricti non erant. Sed pedetentim eo fastigii evecti sunt, ut jam Regibus pares sint, & minus adæquate dicant DD., Principes tantum posse in Territorio, quantum Imperator in Imperio, utque accuratius loquantur, qui Principem plus posse in territorio, quam Imperatorem in Imperio contendunt. Imperatores a Pontificibus Romanis, bellis tam internis quam externis adeo exagitantur, ut crescenti in dies Principum Auctoritati metam tempestive ponere nec possent, nec Imperii sui securitati consultum autumarent, ad vivum omnia refecare. Multa jura ad Majestatica referri solita, Principibus expresse concedebant, quo certius in partes suas eos pertraherent, multa ab ipsis (liceat duriusculo uti vocabulo) usurpata connivendo indulgebant. Ita successive Principes veteres, & status seculares majores illa acquisiverunt Regalia, quae ut partes integrantes constituunt Totum, superioritatem puta territorialem. Ita ex territoriorum administratoribus Domini eorum evaserunt. Quonam titulo hæc vel illa Regalia olim possederint, parum refert. Sufficit, quod in *Art. VIII. § 1. J. P. O. in antiquis juis juribus, prærogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis, tam in ecclesiasticis, quam Politicis exercitio ditioribus, regalibus, horumque omnium possessione ita stabiliti firmatique sint, ut a nullo unquam, sub quocunque prætextu, de facto turbari possint vel debeant.* Sufficit, quod in *J. P. W.* ipsis jam confirmata superioritatis territorialis possessio, in omnibus Imperatorum Capitulationibus denuo confirmetur. Sufficit, quod toties de Territoriis suis

fuis cum annexis Regalibus, mit allen Hoch- und Herrlichkeiten, investiti sint, & adhuc investiantur. Conf. Conradi dissert. de formula investiturae: cum omni honore.

## §. 2.

Mirum non est, quod in determinandis juribus, vi hujus superioritatis territorialis competentibus, & in determinando genuino ipsius conceptu fluctuent aliquando DD. Alii plus, alii minus Dominis territorialibus largiuntur, prouti vel Imperatoris aeminentiæ, aut ordinum provincialium juribus faventiores sunt, vel in statuum Imperii partes magis inclinant. Communiter tamen per *Statuum in subditos suos Imperium, regimenque territorii Imperatori & Imperio subordinatum, definitur*. Libere eam & proprio jure tenent Principes, nec subordinatio sublimitati hujus juris aliquid detrahit. Irrequisita Imperatoris auctoritate in territorio suo quidlibet statuunt, dummodo in Imperii, cujus membra sunt primaria, præjudicium non vergat, id quod ex facultate eorum, Legibus Imperii universalibus in Regula derogandi, liquido apparet. Salvo Imperii nexu a regimine territorii sui Imperatorem æque ac extraneum quemvis excludunt, & quatenus majori Reipublicæ adstricti non sunt, summo in subditos suos imperio civili, & regimine territorii privative gaudent. Quod ex *Art. VIII. §. 1. F. P. O. & ex Capit. novissima Art. 1. §. 4. 8.* luculenter apparet. Ubi Imperator promittit, daß er weder den Reichs- Gerichten noch sonst jemand gestatten wolle, daß den Ständen in ihren Territoris in Religion - Politischen- und Justitz - Sachen sub quocunque præ-

prætextu, wieder den Friedens-Schluß, oder aufgerichtete rechtmäßige und verbindliche pacta, vor- oder eingegriffen werde. Quicquid ergo de summo Juris Publici universalis Imperante valet, indubie ad Principes nostros applicari poterit, donec restrictio in Imperii Legibus fundata probetur. Gaudent sub hac limitatione iisdem juribus quæ jus Publicum universale Imperantibus tribuit, quæ omnia facultatem Principis, dirigendi actiones civium ad salutem civitatis communiunt. Sed iisdem quoque obligationibus tenentur, ne scilicet in præjudicium publicæ utilitatis quidquam, vel ipsi agant, vel ab aliis committi patiantur. Speciales in jam & territoriis propriæ constitutiones non tangunt, quæ quantumcunque varient, dictamen illud sanæ rationis: Salus Populi suprema Lex esto, quod primariæ instar Legis fundamentalis est, infringere non possunt.

## §. 3.

Complectitur ergo Superioritas territorialis omnia & singula jura, summæ Majestati propria, quæ Régalia vel jura superioritatis vulgo vocantur. Nota est definitio eorum, quod sint *ea eminentia Jura, quæ Principi, vi Imperii, ad tuendam & promovendam civitatis suæ salutem securitatemque competunt*, seu sunt Partes summi Imperii, quarum complexus superioritatem territorialem constituit. Vulgaris est distinctio eorum, in majora & minora. Illa splendorem, potestatem, & dignitatem Principis potissimum constituunt, hæc ferendo oneri administrationis Reipublicæ inserviunt, ideoque fisci vel utilia quandoque vocantur. Media quædam a nonnullis additur species, quæ, quum longo intervallo distent majora a minoribus, inter illa quasi fluctuat.

Majo-

Majoris ponderis est altera eorum partitio, in ea, quæ cum subditis communicari & per concessionem in eos transferri possunt, & illa, quæ superioritati tam firmiter adhærent, ut in alium, quam Imperantem vix quadrent. Inutile sane privato foret jus belli & pacis, legationum, fœderum &cet. Ipse legislationis conceptus subditi personam respuit. Ab enumeratione Regalium lubens abstineo. Otium mihi fecerunt fere omnes Juris Publici Scriptorum. Inter alios larga manu copiam eorum suppeditat LYNCKER in *Dissert. de Superiorit. territoriali pag. 25.* Nec licet quidem numerum eorum accurate definire. Hoc, quoad majora maxime, dubio vacat, tot dari jura Regalia, quot dantur diversa media, salutem atque securitatem publicam promovendi. vid. NETTELBLADT in *System. Elem. Univ. Jurisprud. Nat. P. 2. S. 2. Tit. I. §. 754.* Et minora, quæ ex jure Principis libertatem civium naturalem, suadente id utilitate Reipublicæ, restringendi originem trahunt, adeo variant, ut in uno territorio Regale sit, cujus usus in altero cuilibet patet, & mox ad Regalia referatur, quod olim privati fuit arbitrii. Vid. GASSERI *Dissert. de Memoria initii contra præscr. immemor. §. 20. n. I.*

## §. 4.

Habet Sphus præcedens distinctionem, in Regalia communicabilia & incommunicabilia. Jam paucis disquirendum erit, quænam, & in quantum communicari possint, vel non possint. In genere respondendum, alia per naturam suam in privatum non cadere, uti e. g. jus belli. &c. Alia ideo in subditum transferri non posse, quia concessio eorum vel superioritati & nexui subje-

B

tionis

tionis, vel communi Reipublicæ bono atque salutem  
 directo adversatur, quod evictum dedit, & exemplis  
 illustravit s. STRYCK *Dissert. de Salvo jure Principis,*  
*Cap. 1.* Reliquorum subditos quodammodo capaces  
 esse, non nego, cum hoc tamen discrimine, ut minora  
 pleno jure, quæ vero majora dici solent, quod ad exer-  
 citium saltem in eos transire possint. Principem ipsis  
 Regalibus superioribus se plane abdicare, vel exercitium  
 eorum independens ac irrevocabile alicui subditorum  
 committere non posse, mecum contendet, cuicumque  
 HUBERUM *de Jure Civit. L. 1. S. 3. C. 8. evolvere*  
*placebit,* qui rationibus solidissimis ab incongruo plu-  
 rimum in eadem civitate summarum potestatum deductis,  
 hanc suam æque ac meam sententiam firmavit. Idem  
 sentit BOEHMER *J. P. U. Part. Spec. Lib. 2. Cap. 3. §. 26.*  
*ut. l. Cap. 6. §. 6. lit. u. §. 13. lit. d. alibique passim.*  
 His ergo sub limitationibus, Regalia per concessionem  
 Principis in subditos possunt devolvi. Ast, amisso Re-  
 galium nomine, privilegia, seu beneficia Principis audire  
 incipiunt, simulac a visceribus, ut ajunt, Majestatis vel  
 superioritatis separata, in subditorum manus perveniunt.  
 Tituli diversitas in eo discrimen inferre non potest, ut  
 plus juris per onerosum in subditos transire possit,  
 quam per gratuitum, licet, ratione durationis, illi præ  
 hoc majorem vim attribuant.

§. 5.

Quid vero de acquisitione eorum per præscriptionem  
 dicendum? Iam de eo non quæritur, utrum gens libera  
 in aliam æque liberam Regalia præscriptione acquirere  
 possit; sed ea est quæstio, an Principi, Regalia revocanti,  
 præscri-

præscriptionis exceptionem opponendo subditi in possessione eorum sese tueri queant? Tantus hic est DD. consensus, ut fere omnes in diversa eant. Alii, absque ulla restrictione, immemorialis temporis præscriptionem admittunt. Alii Regalia majora excipientes, in minoribus locum ipsi concedunt. Alii non quidem ipsa Regalia majora, sed exercitium tamen eorum, præscriptioni obnoxium putant. Alii demum, faciem præferente THOMASIO in *Diss. de præsc. Regal. ad jura subdit. non pert.* e litibus, inter Principem & subditos, super Regalibus quibuscunque oriundis, indistincte præscriptionem proscribunt. Quæstionis tam arduæ decisionem sufficientem viris præstantioribus relinquo. Meum non est, in rationes tot diversarum opinionum, a tanti nominis JCtis, quorum nonnullos THOMASIVS *c. l. Cap. III. §. I.* allegavit, defensorum, curatius inquirere. Leviter hanc materiam, meditationum ordine ita ferente, tetigisse sufficit. Hoc saltem, meo quidem judicio, certum, quæ a Principe subditis plane non possunt concedi Regalia, ea quoque præscribi non posse, nec per præscriptionem plus posse acquiri, quam libera Principis voluntate in eos potest transferri. Obstat enim salutis publicæ ratio, quæ, vel in absolutissimis Monarchiis, suprema imperantium, in ipso jure Naturali fundata, Lex est, in concessione æque ac in præscriptione. Ita sentit ZIEGLER in *Tract. de Jur. Maj. Lib. II. Cap. VI. §. 4. seqq.* qui pro communi opinione hanc venditat & WERNHER *Diss. jub rubro: Vera de præscr. immem. sententia §. 20. quatenus, ait, Princeps eorum (regalium) exercitium vult & potest subditis expresse concedere, eatenus possessionis immemorialis ratio habenda erit, ut per hanc expressa concessio olim facta sufficienter probari debeat.*

## §. 6.

Seculis anterioribus, tantam ac hodie, quidem nondum fuisse Regalium æstimationem inter omnes constat. Quum enim Juris Publici prudentia, ante Conringium, fere tota negligeretur, vel exiguo saltim successu tractaretur, & cathedræ ante Pacem Westphalicam de ea sub anathemate filerent; Principes ipsi, quid quantumve valerent & in quo potissimum eminerent, ignorabant. Imperantibus, argenti forsitan defectu adactis, inæstimabilia adeo jura in commercio erant, quod Imperatoris Caroli IV. exemplo illustrare lubet, qui, ob dissipata Imperii in celebriores Italiæ civitates jura, vitricus Imperii a scriptoribus vocatur. Tanta insuper quandoque Principum liberalitas erat, ut promiscue subditis excellentia quoque jura concederent. Jam sponte sua se sistit maximi momenti quæstio, quomodo instituenda sit beneficiorum Principis interpretatio? Generaliter, ex *L. 3. ff. de Const. Princ.* respondent DD., quæcunque a divina Principum indulgentia proficiscuntur, ita nos interpretari debere, ut effectum habere possint. Sic enim moderatiores omnes vocem, *plenissime*, in dicta *L.* occurrentem, explicant. Sed non exhaurit quæstionem hæc decisio, ex *§. 4.* potius repetenda. Quum enim per dictum hunc Sphum Princeps regalibus sublimioribus, nec in totum sese exuere, nec independens eorum exercitium alteri committere possit, prono hinc alveo fluunt Regulæ concessionis Regalium interpretandi. Ita ergo explicanda sunt privilegia, ne in detrimentum Reipublicæ vergant, ad ejus salutem, quavis ratione promovendam, tam Imperantis quam subditorum naturalis eaque fortissima est obligatio. Ejusmodi extravagantia jura alicui concedere Principem publicæ utilitatis ratio vetat.

tat. Si ergo ab initio statim insanabili hoc vitio laboret concessio, nullitate sua concidit. Sin ex post facto demum Reipublicæ nociva fieri incipiat, in eo conveniunt DD., dummodo non adeo leve sit incommodum, revocationi hoc casu locum esse, vel ita saltim restringendum esse privilegium, ne damnum inde in Rempublicam ulterius redundare possit. GROTIUS *de J. B. & P. Lib. II. Cap. 14. n. 12. & 13.* BÖHMER *I. P. U. Pars. Spec. Lib. II. Cap. 3. §. 64. lit. k.*

§. 7.

Sed altera ex eodem fluens principio subjicienda est Regula: In omni privilegiorum interpretatione subintelligendam esse clausulam, salvo jure superioritatis, licet non sit adjecta. vid. GRIEBNER *Diss. 2. de jure subord. territ. §. II. ubi, inquit, permessa sunt Regalia, ea lege data esse intelligi, ut sublimiora & suprema jura Principi territorii, licet nominatim non excepta sint, tacite reservata esse censeantur.* Quæ enim expresse in alterum transferri non potuerunt, ea quoque, per neglectam reservationem abundantem, in beneficiarium transire nequeunt, & naturalia in omni negotio adesse præsumuntur. Idem sibi vult hæc Regula, quod propositio, quæ in omnium ore est, nunquam abdicative seu privative, sed subordinate semper concedi Regalia. Sit Regale majus. Exercitium saltim transit per superiora. Ipsum Jus Principi salvum manet, & in ipso exercitio, id quod summum est Principi ipso jure reservatur, quam ob rem in eo concurrere quodammodo dici potest, nec adeo incongrue, licet paulo obscurius nonnulli DD. termino cumulativæ concessionis utuntur, quæ eum quandoque sensum habet, ut Regula

B 3

appli-

applicari possit, præsentem Principe fileat magistratus. Sit porro ex minoribus unum. Præter exercitium jus quoque privato largior, sed tantum abest, ut in gradu æque excellenti, ac Princeps illud teneat, ut potius supremæ ipsius directioni, a cujus gratia illud recognoscere debet, indubie subdit. Id ipsum sibi vult subordinatio, quam primus superioritatis conceptus tam necessario exigit, ut ei ne renunciare quidem Principi integrum sit. Clausula concessionis: cum omni jure, nihilo penitus reservato, per alteram illam, quæ naturaliter omni privilegio inest: salvo nimirum Jure superioritatis, quantum satis est, temperatur. Ita PAURMEISTER de Jurisd. Imp. Rom. Lib. 2. Cap. ult. n. 67. 68. si Princeps, inquit, concedat inferiori omnigenam Jurisdictionem altam & bassam, id tamen salva superioritate, & illæsis juribus status intelligendum est. Et nunquam concedi potest tanta potestas a Principe, quin semper facta tecta remaneat superioritas, licet adjecta sit clausula: cum translatione omnis Imperii & cum omni jure.

non præstat in illa...  
de... §. 8.

Patet ex his restrictivam mihi placere interpretationem, hoc sensu, ut, quod minimum est, Princeps concessisse præsumatur, ita tamen, ne inane prorsus fiat privilegium. Nec juri tertio quæsito quidquam, nec Principis potestati nimium per illud detrahendum est. Quum enim Regalium concessio sit quædam a jure communi, quod Regulam constituit, exceptio, & respectu Imperantis alienatio, ampliorem ejus interpretationem admittere, analogiæ Juris contrarium foret. vid. THOMASIVS de interpr. benef. Princ. §. 51. Generalis ergo Regalium concessio ad majora non trahitur, nec ab una specie concessa ad alteram

teram valet consequentia. Cachinnum sane excitaret, qui Jurisdictione forsan investitus, etiam jus statuendi sibi competere prætenderet. Immo, in concessa specie, minor tantummodo gradus indultus, major Principi reservatus intelligitur, quod in concessione Juris venandi, generali termino *der Jagd-Gerechtigkeit* facta, apparet, ubi venatio superior exclusa videtur. Ita omnes, qui sunt impartialiales, maxime de Jurisdictione judicantes, interque illos venerandi patres, BRUNNEMANN *ad L. 3. ff. de Jurid. n. 3.* STRUV. *Synt. Jur. Feud. C. 6. th. 18. n. 4.* STRYCK. *U. M. tit. de Jurid. §. 13.* Unde non sine tædio, ceu dissentientes, legi queunt, Duumviri celebres MEVIUS *P. 4. Dec. 290. n. 9.* CARPZOV, *P. 2. C. 40. D. 6.* Addo, quod Regalia ejus sint naturæ, ut nec a simili ad simile, nec a majori ad minus queat concludi. Unde *Parœmia rythmica: wohin der Dieb gehört mit dem Strang, dahin gehört auch der Hirsch mit dem Fang*, est falsa, & illa: *wer kann jagen, der kann auch hagen* i. e. arboribus uti, est lubrica. Vid. HERTIUS *Lib. II. u. XVI, XVII.* item PISTORIUS *in Thef. Parœm. Cent. 8. n. 97.*

Notetur, ad hætenus scripta, Regulas in interpretatione privilegiorum observandas, tunc quoque applicandas esse, si quis ex præscriptione, quousque locum habet, Regalia possidet. Hæc enim, quum loco concessionis sit Jctis, plus juris tribuere non potest, quam expressa concessio.

§. 9.

Quum ergo sublimis principis officium, in eo potissimum consistat, ut actiones civium ad scopum civitatis, prudenter dirigendo, publicam salutem stabiliat, quumque

id-

idcirco eximiis illis juribus Regalibus sit instructus; id ipsi primario curæ cordique esse debet, ne quidquam vigilantiam ipsius evadat, quod quacunque ratione communi bono officere possit. Nam, uti jus, ita obligatio quoque ad finem det jus ad media necesse est. Ita pariter subditum quemque leges societatis civilis fortissime obligant, ne quidquam in contrarium moliat. Sed tantæ extensionis muneri una Principis persona sufficere non potest. Opus igitur est ministris, quibus partem officii sui demandet. His regalium quorundam exercitium injungit, & pro negotiorum gravitate vel unam vel plures personas ad illa expedienda delegat, quæ collegium tunc & personam moralem constituunt. Hi, ne limites præscriptos transgredient, sedulo prospicere boni Principis est. Subditis haud raro per privilegium regalia conceduntur, quibus ne in Reipublicæ præjudicium abutantur, providere, itidem Principi incumbit. Societatum minorum, in majori illa civili constitutionem, & securitatis & utilitatis ratio exigit. Hæ, quo majorem Reipublicæ utilitatem præstant, eo majus quoque damnum per vim suam unitam fortiolem eidem possunt inferre. Attentiosem idcirco imperantis curam desiderant. Hactenus recensitæ obligationes utriusque Religionis Principibus, tam Pontificiis quam Protestantibus communes sunt. Superest alia Protestantibus propria, Episcoporum Jurisdictione, per Pacem Religionis & Westphalica suspensa. Ne erroneæ doctrinæ populo insinuentur, ne patronorum excessus ecclesiæ noceant, ne bona ecclesiastica male administrantur, Civitatis maxime interest. Etiam his malis Principis cura obviamitur. Ex neglecta horum omnium observatione non possunt non gravissima in Rempublicam redundare incommoda,

moda, quibus a Principe præcavendum esse, nemo credo negabit. Sed qui præcavere poterit, nisi in originem mali inquirat? Tunc demum medica Principis manus accedere potest. En ergo fundamentum juris supremæ inspectionis, quod hacce Dissertatione Principibus asserere, animus est.

§. 10.

Jus in omnia ea, quæ communi Reipublicæ utilitati vel prodesse vel obesse possunt, attendendi, Jus supremæ inspectionis in sensu latissimo dicitur. In specialiori vero significatione hoc nomine venit jus, eorum actiones sub censuram revocandi, quibus Regalia vel in totum vel quoad exercitium modo sunt concessa, ne ab eis, in præjudicium boni publici, quidquam committatur. Competit hæc suprema inspectio, quocunque sumatur sensu, ei, qui summum in Republica habet Imperium. Is enim solus jure, actiones civium ad salutem Reipublicæ dirigendi, gaudet, sine quo omni plane effectu destituitur inspectio. In alium ergo quam Imperantem non cadit, qui ad exercendum illud legibus naturalibus firmissime obligatur. Suprema ideo audit, quia per totum sese extendit territorium, & in eos quoque competit, quibus in alios inferior quædam inspectio est demandata. Fundamentum ipsius ex Spho antec. liquet. In sensu specialiori sumta aliunde etiam deduci potest. In Republica omnis Imperii civilis potestas in Imperantis persona residet, & ob gravitatem amplitudinemque suam in plures se quasi rivulos diffundit. Hujus ergo solius est, officiales administrationi negotiorum præponere & præter eum reliqui omnes subditi sunt, ac omnis persona publica, omnis vel insignis magistratus respectu Imperantis privatus, & æque subdi-

C

tus

tus est, ac illi, a quibus ut superior colitur. GROTIUS de I. B. & P. Lib. 1. Cap. 4. n. 6. NETTELBLADT in Jurispr. Nat. Theor. Publ. Lib. 1. Sect. 11. Tit. VIII. §. 861. Iam vero ipsa rei alienæ administratio obligationem, ad reddendas rationes, naturaliter involvit. Regalia porro, uti supra demonstratum, licet ipsa jura transferint, nunquam tamen nisi subordinate & dependenter possunt concedi. Quid vero aliud sibi vult hæc subordinatio, quam ut Imperanti salvum maneat jus providendi, ne per abusum juris concessi in Reipublicæ detrimentum vergat concessio. Utroque casu suprema inspectione opus est, quæ saluberrimos exserit effectus. Nec a sententia hac mea alieni sunt Juris Publ. Univ. DD., qui uno omnes ore Inspectionem Imperantis supremam & generalem in totum territorium defendunt. Paucos ex his allegare sufficiat, inter quos b. I. H. BÖHMER in *Introd. in Jus Publ. Univ. Parte Spec. Lib. II. Cap. V. §. 15.* quæcunque sunt & fiunt in Republica, Imperantis inspectioni subjicit. Ac uti per totum *Cap. IV.* in eo occupatus est, ut obligationem Principis, providendi, ne a collegiis & universitatibus bonum publicum eludatur, ita *Cap. VI. & VII.* jus ipsi vindicat, in magistratus judicique inspiciendi. Eandem opinionem, dictamini Naturæ consentaneam, prodit ZIEGLER in *Tract. de Juribus Majestatis, Lib. 1. Cap. 24. §. 2. Cap. 35. §. 9. Cap. 41. §. 8. & 24. alibique passim.* Videatur etiam NETTELBLADT in *Jurisprud. Nat. Theor. Publ. §. 853. & 876.* nec minus DARIES in *Elem. Juris Publ. Univers. §. 674. & 679.*

## §. II.

Constat ergo & firmissimis nititur argumentis, jus supremæ inspectionis Imperantium, ex Jure Publico Univer-

versali. De Principibus Imperii R. G. idem dicendum esse, dubio vacat. Supra jam Spho 2do superioritati territoriali eadem, quæ ipsi Majestati jura sunt asserta, nisi vel nexus Principum cum Imperio contrarium exigat, vel Imperii Leges restrictionem aliquam statuunt. Quicumque ergo hoc vel illud Jus Majestaticum Principibus nostris denegare contendit, exceptionis suæ a regula probationem in promptu habeat, necesse est. Quod ad Jus supremæ Inspectionis, illud, cum Regimine territorii tam arcte cohæret, ut hoc sine illo utiliter geri nequeat *per* §. 9. Iam vero, quod Spho 2do evictum dedi, Principes, vi superioritatis territorialis, quicquid ad regendum Territorium pertinet, excluso omni Imperatoris & Imperii concursu, suo jure soli adornant. Nulla igitur ratione Dominorum Territorialium Jus supremæ Inspectionis in dubium vocari poterit, quum nec nexus, nec leges Imperii obsistant, quæ potius ordinationem politiæ, immediatum ipsius consequens, sub pœna ipsis injungunt, uti videre licet, ex *Ord. Pol. de ao. 1577. Tit. XV. §. 4.* Detectis demum, per Inspectionem, Reipublicæ mendis, ad correctionem eorum, per exercitium politiæ sublimis, cum effectu proceditur, quæ adeo Principum Imperii est, ut Imperator nullis omnino privilegiis eam turbare promiserit, *in Capit. noviss. Art. VII. §. 5.* Nec erit, qui, de jure supremæ Inspectionis in genere, Principibus nostris litem movere audeat, licet in dato casu speciali ipsi quandoque contradicatur, cui tamen locis convenientibus respondebitur. Agnovit hoc religiosissimus ille Juris Publ. Germ. Scriptor, Dominus de SECKENDORFF, dum in Tractatu suo, qui inscribitur *teutscher Fürstenstaat P. II. Cap. IX. n. 9.* judicia, quæ ex ordinibus provincialibus constituuntur

tur principis inspectioni subesse asserit. Ita quoque LYNCKER in *Diss. de super. Territ. pag. 25.* non dubitat, Jus, visitationes regionis seu provinciae instituendi, inter jura superioritatis recensere, & *pag. 27.* idem jus Land-Visitationen in geistl. und weltlichen Dingen anzuordnen ad ea, quae eximia superioritatis sunt, referre. Itidem Dominus PUTTER in *Elem. Juris Publ. Germ. P. I. Lib. I. S. II. Cap. VI.* omne jus Inspectionis & Politiae ex Regulis Juris Publici Universalis exercendum, Principum Imperii, nullum fere, nisi certis quibusdam casibus Imperatoris esse, contendit. Plurium DD. allegationem sequentibus sphis reservo.

§. 12.

Est haec inspectio suprema Regale majus, eminenter tale & a superioritate territoriali inseparabile, adeo ut exemptio ab illa, nec privilegio, nec praescriptione acquiri possit. Non sine injuria Reipublicae tale privilegium concederet Princeps, quod licentiam daret impune in salutem publicam grassandi. Ipsa haec inspectio potissimum eorum jurium est, quae in omni Regalium concessione Principi ipso jure reservantur. Non obstante ergo renunciatione sive explicita sive implicita, salvum semper Principi manet Jus supremae Inspectionis. Nec praescriptio in Regalibus ob boni publici rationem incommunicabilibus locum habet, quam, etsi hoc casu procederet, non tamen in diu & ante hominum memoriam neglecto Inspectionis exercitio fundatam, vel ideo consummatam esse posse, quod nullum exercitae Inspectionis exemplum existet, nemo non confitebitur. Solo enim non usu jus inspectionis, cujus exercitium, respectu subditi praescribere volentis, res merae facultatis & in arbitrio Principis positum est, amitti non potest,

potest. *vid. S. STRYCK Diss. de non-usu Juris quaesiti, Cap. I. n. 11.* Nec sufficit quidem, ut Princeps in contradictione subditorum contra tentatum Inspectionis supremæ exercitium, acquieverit, uti evictum dedit Auctor celeberrimus, des gelehrten Articul, im 32sten Stück der Mecklenb. Nachrichten, Fragen und Anzeigen, de anno 1749. Sed præoccupata hæc sunt omnia, & facili negotio ad Jus supremæ Inspectionis applicari poterunt, quæ *ad §. 4-8. incl. de concessione ac præscriptione Regalium, & de interpretatione beneficiorum Principis pluribus dicta sunt,*

§. 13.

Inspicit ergo Princeps generaliter in omne id, quod in territorio existit, sive sit res, sive persona, quatenus respublica inde vel commodum capere, vel damnum pati potest. Personas tamen primario tangit inspectio, sine quarum concursu regulariter res nec utilitatem præbere, nec detrimentum afferre possunt. Communis vero tam rerum, quam personarum in ecclesiasticas & seculares, & personarum, in physicas & morales, universitates puta & collegia, est divisio, secundum quam de Inspectione suprema, pro arctis Dissertationis limitibus, pauca differere non incongruum videtur. In sacra primum, dein in politica inspectionem Principi vindicabo summis saltem hujus illustris æque ac fœcundæ materiæ capitibus tactis.

Excusso papali Jugo, ecclesiasticæ illi R. P. Monarchiæ sese subduxerunt Populi Protestantes. Proscripta erronea aliorum de ecclesiæ ad civitatem habitu, huic illam subordinant. Collegium æquale ecclesiam reputantes, Principis supremæ directioni, ipsis territorii limitibus li-

mitatæ, illam subjiciunt. In Imperii quoque R. G. Principes Evangelicos usurpatum antea ab Episcopis Ius sacrorum Pace Westphalica plenarie transit. Ordinant suo jure & independenter statum ecclesiasticum, nec superiorem, uti quidem Pontificiorum Episcopi, agnoscunt. Coniunctam itaque & Reipublicæ & Ecclesiæ curam sustinent, & in hanc æque ac in illam, salva libertate conscientiæ, Imperium exercent. Quum enim ecclesiæ sint cœtus particulares, in quos Dei colendi gratia coeunt homines, non possunt non reliquis in Republ. collegiis æquiparari, quæ omnia directioni, indeque fluenti Inspectioni Principis subsunt. Prout igitur Principem ea, quam gerit Reipublicæ cura, obligat, ut ab omnium, Ecclesiæ quoque, contra communem salutem insultibus eam securam præstet; ita, tanquam supremus ecclesiæ curator, non minori cura providere debet, ne ulla ratione lædatur. Hinc quum unicus ecclesiæ finis sit cultus divinus, cui rite celebrando sacerdotes docendo & sacra administrando inserviunt, Principis est, sedulo curare, ut tales constituantur a patronis, vel iis, qui jus vocandi habent. qu. arduo huic officio, eruditionis non minus, quam fidelitatis ratione pares, vitæ etiam integritate auditoribus suis prælucere possunt. Nec unica hac in studia & mores ordinandorum inquisitione officio suo defunctum se putans, summa vigilantia attendit Princeps religiosus, ne a tramite recti, vel doctrinas reprobatas docendo, vel ad tumultus auditores suos instigando, vel aliis modis devient. BÖHMER I. *Paroch. S. I. Cap. 2. §. 51.* Pia sane est cogitatio Ducis nostri gl. m. Adolphi Friderici, qui in Testamento suo filiis suis principibus injungit, *gelehrte, treue, Superintendenten, Pastoren und Prediger, die in obermelsdter unser Christi.*

Christl. Religion und Lehre richtig, im Leben und Wandel untadelhaft, ehrbahr und also gethan seyn, daß Sie Ihren Zuhörern auch mit guten Exempeln und Christl. Zucht und ehrbahren Leben vorleuchten, zu bestellen. Denn &c. Derowegen dann unsere Söhne fleißige Inspection darauf zu haben, und weil zu solchem Ende die gemeine und Particular-Kirchen Visitationes angesehen; so sollen sie daran seyn &c.

§. 14.

Bona Ecclesiæ ad ministrorum suorum sustentationem, templorum reparationem aliasque necessitates impendenda, administrationem requirunt, quæ ut fidis demandetur viris ecclesiæ maximopere interest. Huc quoque Principum Jus supremæ Inspectionis in Reformatione Politicæ de anno 1548. Titulo von Pupillen §. 4. nec minus in *Ordinat. Pol. de anno 1577. Titulo 32. §. 4.* firmatum, sese extendit, quam non per ordinarios solum Inspectores, qui Superintendentium communiter nomine veniunt, sed per extraordinarios quoque, ad visitationem ecclesiasticam deputatos Commissarios quandoque exercent. Trita sunt hæc omnia, nec facile in dubium vocantur. Fusius ea tractavit *Dn. PRAESES in Diss. de Visitatione Ecclesiast.* Id tantum addendum, quod nostri etiam Serenissimi Principes Megapolitani per totum territorium Inspectionem hanc suam in sacra exercent. In ipsa quoque civitate patria per *Transact. de ao. 1584. §. 1.* controversum antea jus supremæ Inspectionis Serenissimorum Regnantium, in Doctrinalibus & Ceremonialibus, stabilitum est. Præterea de redditibus ecclesiasticis ab Oecono-  
 mō eis præfecto secundum §. 16. ejusd. *Transact. Commissariis quotannis ratio reddenda est. Nec per dis-*  
 posi-

positionem §. 11. huic juri quidquam detrahitur, juxta quam Senatus Rostochiensis ad Visitationem Ecclesiasticam concurrat, quum Juris communis sit, quod Patronus eum, qui Jure Episcopali gaudet, hic illum a jure visitandi excludere nequeat. *BÖHMER Consult. & Decis. Tom. I. Resp. 20.*

§. 15.

Non sine ratione pia omnia Instituta, hospitalia, ptochotropha, orphanotropha, reliqua, ad sacrorum classem referuntur. A sæculis inde multa piis hisce usibus, moribundorum ut plurimum largitate, sunt destinata, quæ temporis successu in tanti pretii bona accreverunt, ut bene administrata insignem Reipublicæ utilitatem afferant. Ne vero negligentia vel perfidia adeo administratorum, privatis suis rationibus primario consulentium, vel in indignos beneficia exinde conferentium, institutorum ejusmodi finis evertatur, boni Principis est, vigilantia sua præcavere. Præcipit hanc inspectionem *Ord. Imp. Politica de anno 1577. Tit. 27. §. 2. verbis: daran und darob seyn, daß solche Spitzel fleißig unterhalten und gehandhabt, der Verwalter oder Spital-Meister Rechnungen jährlich abgehört, auch die Spitzel auß wenigst im Jahr einmahl von der Oberkeit visitirt und ihre Nuzung und Gefällen zu keinen andern Sachen, dann allein zu Unterhaltung der nothdürftigen Armen und zu gütigen barmherzigen Sachen gefehrt und gebraucht werden.* Ideo vel ipse administratores constituit, probitate & industria conspicuos, quos ad reddendas rationes exactas adigit, & num officio suo ubique satisfecerint, diligenter inquirat; vel si Patronis cura hospitalium omnigena demandata est, itidem inspectione sua suprema utitur, ne jus ipsis concessum in licentiam

tiam immoderatam, se suosque cum damno Reipublicæ locupletandi, degeneret. Quod enim de concessione Jurium Regalium in genere supra assertum, quod salva semper superioritate, seu quod idem fere est, salva inspectione suprema, intelligenda sit, id ob identitatem rationis in communicatione jurium, ad Jus sacrorum pertinentium, non minus valet: quod salva semper superioritate sacra communicentur. ENGAU *Elem. Juris Can. in Proleg. Cap. 3. Membr. 2. §. 48 n. 3.* Inspectionem hanc suam supremam in Hospitalia quoque Civitatis Rostoch. Serenissimi Duces Megapolitani ante initas Transactiones *de annis 1573. & 1584.* repetitis vicibus tam efficaciter exercuerunt, ut in subsequenti Transactionibus & in priori quidem *Spho, was dann die beyden Hospitalien,* in posteriori vero *§. 23. seqq.* sublatis omnibus abusibus, qui sensim irrepserant, hospitalium redditus nec patronorum nec antistitum affectibus, sed pauperum necessitatibus unice inservire debere, constitutum sit. Majorem, quam ipsæ Transactiones, quæ temperatis admodum verbis conscriptæ sunt, lucem afferunt Tractatus præcedentes, quos tamen perlustrandi occasio plurimis deest.

## §. 16.

Pergo jam ad objecta Inspectionis supremæ sæcularia, quorum varietas campum præbet tam amplum, ut pro dignitate sua eum emetiri, volumen requirat. Existantiores tetigisse mihi sufficiat casus, in quibus utroque tam latiori, quam strictiori sensu, Inspectioni locus est. Ita vigor commerciorum, post tranquillitatem, plurimum facit ad felicitatem Reipublicæ; sed cauta eorum directione opus est, ne inutilis vel funesta adeo fiat communi saluti

D

liber-

libertás negotiandi. Circa exportanda ideo & importanda Principis versatur iudicium, qui, ad rationem boni publici, libertatem commerciorum naturalem variis modis attemperat. Aliquando certæ speciei mercium e. g. frumenti, exportationi ob metuendam annonæ insufficientiam, obicem ponere necesse est. Mercium peregrinarum, earum maxime, quæ luxui inferviunt, in vectio divitiis exuit territorium, quare vel plane interdicit usum earum, vel in territorio suo eas præparari curat, prohibita vel oneribus gravata peregrinarum ejusdem generis importatione. Ita pariter Reipublicæ interest, ut pupilli, qui se ipsos tueri nequeunt, bene educentur, & patrimonium eorum factum tectum ipsis conservetur. Constituantur idcirco imbecilliori ætati tutores & curatores a cujuslibet loci magistratu, vel testamento dati ab eodem confirmantur. In hos, uti magistratibus intra bannum iudicii sui, ita Principibus in universum incumbit sedulo attendere, ne, in educatione pupillorum & bonorum administratione, dolose vel culpose agant, *per Reform. Politie de anno 1548. Titulo von Pupillen.* Non incongrue ob Inspectionem hancce Tutores supremi *Ober-Vormünder* audiunt, quod nomen non nisi gloriosum sibi ducere possunt. Ipsi Serenissimi Duces Megapolitani gl. mem. Dn. Johannes Albertus, & Dn. Ulricus hunc titulum sibi tribuerunt in *Ord. Pol. Meekl. Titulo von Vormundschaften, Wittwen und Waisen*, verbis: *Wann aber uns als der Obrigkeit, und Obersten der Wittwen und Waisen Vormunden, aus tragenden Fürstlichen Amte, gebühret und zuschiet, hierin ein gebühlich und billig Einsehen zu haben.* In collegia & societates coire, & de rebus collegii quædam statuere, in civili quoque statu, liberum est. Sed Prin-

Principis est, in finem societatis inquirere & providere, ne statuta in præjudicium reliquorum civium, vel ipsius Reipublicæ vergant. Quo casu vel omnino prohibere vel intra limites æqui redigere potest tam arrogans collegium. Plura ejusdem farinae exempla in promptu sunt, quæ omnia, antequam per politiam sublimem in commune bonum ordinantur, Inspectionem Principis generalem fundant. Affinia enim sunt hæc excellentia jura, adeo, ut Politia Inspectionem necessario excipiat & Inspectio sine Politia omni destituatur effectu.

§. 17.

Sed mitto hæc omnia, paucis tantum de jure Principis inspiciendi, quomodo propriis suis rebus utantur subditi, adjectis. Rationem hoc proximam in Dominio Principis eminenti habere videtur, vi cujus, quum omnia subditorum bona, publicis necessitatibus & utilitatibus subordinanda sint, Principi competit facultas, exercitium domini subditorum ad salutem publicam dirigendi, immo ad ipsum dominium resignandum eos cogendi, quod exempla necessariæ venditionis probant. Respublica, dummodo cives habeat locupletes, non potest non opibus & viribus pollere. Egentibus vero subditis omnis rerum gerendarum nervus deficit. Maxime idcirco interest Reipublicæ, ne otii, comessando, luxuriando ludisque exorbitantibus ad incitas redigantur subditi, quum alias re sua etiam abuti cuicumque liceat. Interdicuntur ex hoc fundamento prodigi bonorum administratione, eisque curator præficitur, ne furiosum faciant rerum suarum exitum. Prohibentur ludi, fortunæ potissimum, ne immoderata ludendi cupido integra patrimonia absumat. Et

eo magis hoc procedit, quo majus, quo certius, exinde, quod negligentius rebus suis prospiciunt subditi, Reipublicæ periculum instat. Funesta sat multa in Megapoli nostra exstant exempla civitatum integrarum, vel qua maximam saltem partem, flammis absumtarum. Diu jam desideravit tanta miseria supremam Principis inspectionem. Digna igitur Patre Patriæ est cura civitatum, cujus exemplum Dux noster Serenissimus Regnans exstare voluit in Constitutione de 20. Nov. a. p., qua omnibus civitatum minorum incolis, abrogatio tectorum stramineorum, ob incendii metum, injuncta est. Quum ipsa hæc constitutio ad manus non sit, ex Rescripto Serenissimi ad Senatum Marloviensem directo sequentia excerpere lubet: Wir geben Euch, auf eure unterthänigste Vorstellung und Bitte, wegen der, von Uns gnädigst befohlenen Abschaffung, der Stroh- und Rohrdächer hiemit zum Bescheid, daß es Euren, unerhebl. von der Schwäche der alten Häuser hergenommenen Einwendens, ungeachtet, bey Unseren unterm 20. Nov. ersagten Jahres ergangenen Verordnungen, sein unverändertes Verbleiben um so mehr behalte, da die alten Häuser zu Tragung des Steindaches verstärket werden können.

## §. 18.

Ad Inspectionem in sensu strictiori progredior, quæ eos potissimum respicit, quibus beneficio Principis Regalia sunt concessa, inter quos omnium maxime eminent civitates, quibus, quo majora concedi solent Regalia, eo magis Reipublicæ interest, ne potestate sua abutantur. Jus Politicæ Regalium omnium latissime patet. Quicquid enim ad bene beateque vivendum, quicquid ad vitæ necessita-

cessitatem & commoditatem pertinet, id omne Politia complectitur. Nullus vero est magistratus, cui non amplissimi hujus juris pars quædam, quamvis non in eodem semper excellentiæ gradu, sit indulta. Rariora sunt concessi universi Juris Politia exempla. Ast quantumcunque sit concessum, Regula tamen toties quoties inculcata: salvam omnino esse superioritatem indeque fluentem Inspectionem supremam, etiam hic firma stat & inconcussa. Inspicit ergo Princeps, quomodo Jure Politia utantur, ut præcaveat, ne in defectu vel excessu peccent. Utrumque civitati, & per consequentiam integro territorio æque perniciosum est. Vi Juris Politia civitates ut plurimum sibi ipsa magistratus personas constituunt, quod alias jus superioritatis territorialis majus est. Constituunt autem non suo jure, sed ex potestate a Principe, dependenter, & subordinate concessa. Quo magis vero a prudentium cordatorumque virorum electione salus civitatis dependet, eo magis tanti præjudicii actus Principis observationem requirit. Non turbantur in exercitio hujus juris a Principe, qui id solum inspectione sua præcavet, ut ne, præter boni publici rationem & eligendorum in civitatem merita, ullus alius vel amicitia vel inimicitia respectus in electione attendatur. Cognoscit ideo de electarum personarum integritate, HERTIUS *de Super. Territ.* §. 37. ZIEGLER *de Jurib. Majest. Lib. I. Cap. 29. §. 4.*, qui vitia electionum omnia elegantissimo depinxit calamo. Firmavit nuperrime Inspectionem Principum supremam in constitutionem quoque personarum in subsellia magistratuum vacantia Sententia Cameralis notissima, uti in genere eam communit, verbis: auch sonst bedürfenden Falls sich seiner Landesherlichen Oberaufsicht, rechtlicher Art

Art nach, zu gebrauchen, ohnbenommen, sondern vorbehalten.

§. 19.

In civitatibus, Jure Politiaë instructis, administratio bonorum civitatis e magistratu & civium numero deputatis communiter demandari solet, quos ad rationes reddendas teneri & sana ratio dicitur, *§ L. 2. ff. de administ. Rev. ad Civit. pertin. §. 2.* clarissimis præcipit verbis: *Ratio administrationis, secundum fidem datorum & acceptorum, ponatur.* Id solum disputatur, cuinam reddendæ sint rationes? Principi haud raro a magistratibus Jus inspiciendi in administratores bonorum civitatis suæ denegatur, maxime si privilegiis Jus Politiaë, in excellentia quadam cum liberiori aliqua potestate acquisiverunt. Defendunt hanc opinionem magni nominis Jcti, a STRYCKIO in *Diss. de Jure Principis circa Rationes Civitatum*, allegati solidisque rationibus refutati, & inter eos MEVIUS in *Com. suo ad Jus Lub. P. 2. Tit. 3. n. 26.* ducto, a Juribus Imperatoris in Civitates Imperiales, ad Jura Principum, in civitates suas, argumento. Quod quam incongruum sit, exinde facile patet, quod Civitates Imperiales superioritate territoriali gaudeant, & excepta dignitate Regali omnibus Juribus Regalibus conspicuæ, civitates provinciales longo intervallo antecellant. Sed maximi ponderis argumenta obstant, quo minus huic sententiæ adsentiri possim. Ipsa imperii notio Ius & obligationem Principis constituit, ut ne ulla quidem ratione salus publica detrimentum capiat, iam vero malæ administrationis bonorum civitatis consecraria in totum recidunt territorium, cujus & moderator & defensor unicus Princeps est. Ad onera Reipublicæ ferenda

ferenda, dilapidatis redditibus suis, inhabiles fiunt civitates & languescente vel unico membro, non potest non totum languescere corpus. Plures enim civitates tanquam membra, constituunt unum Reipublicæ corpus. Nec præcavendo huic malo, sufficit rationum coram magistratu vel civibus ipsis redditio, in qua aliqua saltim partialitatis, vel minus accuratæ ob metum reverentialem revisionis, suspicio nunquam non remanet, quæ utraque in Principem cadere non potest. Insuper concessio licet magistratui indeterminato jure Politicæ, id tamen non independenter sed salva superioritate factum esse, intelligendum, per superiora. Quare magistratibus ita privilegiatis rationes reddi posse non nego, non excluso tamen ea propter Principis jure inspiciendi, ne ex perversa bonorum civitatis administratione, insignia in Rempublicam redundant incommoda. Nec DD. auctoritate destituitur hæc sententia. Legantur præter STRYCKIUM *alleg. Diss. aliosque multos*, J. H. BÖHMER *J. P. U. Part. Spec. Lib. 2. Cap. 4. §. 9. lit. b.* G. L. BÖHMER *Diss. de Jure Principis circa loca & opera publica Cap. I. §. 14.* HUBER *de Jure Civit. Lib. 3. Sect. 1. Cap. 5. §. 14.*

§. 20.

Tantum de suprema Principis Inspectione, in universitates, jure Politicæ gaudentes. In reliquorum Regalium v. g. Jurisdictionis & juris statuendi facta concessione, idem, quod in genere, obtinet, quod Principis sit inquirere, quomodo juribus indultis utantur beneficiarii. Quod ad Jurisdictionem, non potest illa ab alio, quam a Principe provenire, qui fons ipsius unicus est per *L. 3. C. de Jurisd. omn. Jud.* & nunquam privative, sed subordinate

nate semper illam concedit, licet jure feudi vel titulo oneroso acquiratur. Quum enim ne expressa quidem & libera conventionē a Principe subordinatōni renunciari possit, non poterit certe tituli diversitas discrimen inferre. Nec subordinatio ista sola libertate appellandi absolvitur, sed in prima quoque instantia partes suas aliquando interponere posse principem, docent ZIEGLER *de Juribus Maj. Lib. I. Cap. 20. §. 2.* & S. STRYCK *de salvo Jure Principis Cap. 2. n. 20.* Cujus indubium exemplum præbet querela denegatæ vel protractæ justitiæ. Solent etiam, motu proprio, quandoque informationem a iudicibus & magistratibus exigere, quomodo, in certis casibus obvientibus, Jurisdictione sua utantur. Utroque casu revera Jus supremæ Inspectionis exercetur.

Sed inspicit quoque Princeps in eos, quibus jus statuendi concessit, præcavendo, ne in sui ipsius, vel Reipublicæ præjudicium, vel de rebus proprio suo arbitrio reservatis, quidquam statuunt. Ipse etiam neglectus exercitii hujus juris, quum incertitudinem vel insufficientiam jurium producat, quumque tacente vel dubie nimis loquente lege, contrariæ Ictorum opiniones lites fere necessarias faciant, insigniter turbat civium salutem. Consequens est, etiam in communicato jure statuendi, attentionem Principis desiderari, qui calcar addat, ne, cum detrimento subditorum eximio, plane negligatur. Obtinuit hoc ipsum Dux noster Serenissimus per allegatam jam sententiam Cameræ Imperialis. Monuerant, ante annum 1584. Serenissimi Regnantes Senatum Rostochensem, ut jus suum statuendi exerceret. Promittebat Senatus in Transactione de dicto anno §. 97. novum jus civitatis ein neues Stadt-Recht, intra duos annos publicare

care. Sed res hactenus exitu caruit, donec in dicta sententia injunctum sit, daß Bürger-Meister und Rath sowohl die Policey - Ordnung zu revidiren und zu verbessern, als auch fürnehmlich ein neues Stadt-Recht verfertigen und publiciren zu lassen &c.

## §. 21.

Suprema hæc S. R. I. Principum Inspectio ob rationis suæ generalitatem omnes omnino subditos, privilegiis ab eorum clementia decoratos, eadem ratione respicit. A plurium tamen exemplorum perlustratione, quum dicta omnia repetenda sint, abstinco. Ex numero privilegiatorum universitates, & ex universitatibus civitates majores specialiori attentione dignas judicavi, quia ob jurium suorum excellentiam, supremam Principum Inspectionem respuere haud raro conantur, quæ a reliquis non ita facile in dubium vocatur. Communiter in clausula illa, concessionibus quandoque adjici solita, *cum omni jure, nihilo penitus nobis reservato*, intentionem suam fundatam esse putant. Sed integrum hoc argumentum supra jam §pho 7mo destructum est. Quum enim Inspectio suprema tam firmiter superioritati territoriali inhæreat, ut ipsa salutis publicæ ratio ei renunciare vetet, adversus quam Princeps nec concedere jus quidquam potest, nec concedere voluisse censendus est; clausulæ hujus interpretatio cautius & juxta regulam illam instituenda erit, quod superioritas in omni concessione Principi tacite & necessario reservetur. Tota vero corrueret superioritas, omnis facultas civitatum licentiam refrenandi Principibus præcideretur, nisi salva maneret Inspectio suprema. Nec poterit quidem, ex hac clausula, renunciatio juris Inspectionis supremæ extorqueri, quum extensiva ejus inter-

E

pre-

pretatio vim verbis faciat apertam. Qui enim cum omni jure, nullo penitus sibi reservato, Regale aliquod concedit, eo ipso declarat, quod in exercitio ejusdem cum privilegiato concurrere, vel aliquam ejus partem sibi reservare nolit. Quod vero omni jure superiori & innoxia cura, abusus præcavendi, se abdicare voluerit, verba non innuunt.

## §. 22.

Sed ex alio quoque fundamento, quod territoria subordinata, seu quod idem est, civitates mixtæ esse prætendunt, ab Inspectione Principum immunes se arbitrantur civitates majores. Defensores earum inter civitates Imperii & municipales, medium quoddam, mixtas puta, constituunt, quæ in exceptione tantum Principum Imperio subesse dicuntur, a quo in Regula sint exemptæ. Probatissimi vero Juris Publici DD., præter distinctionem civitatum Germaniæ, in Imperiales & municipales, aliam non admittunt. *vid. HERTIUS de spec. R. G. I. Rebus publ earumque variis nominibus & figuris, Sect. 1. §. VII. & PFEFFINGER Vitriar. Illustr. L. 1. Tit. 18. pag. 780. ubi: Municipia, inquit, quæ libertatibus & privilegiis quibusdam fruuntur, perperam ab aliis distinguuntur, quæ iis carent, quum non quæstio sit, num omnia municipia ejusdem conditionis existant? Sed, an non ea, quæ certa privilegia & immunitates sibi acquisiverunt, æque sint municipia, ac alia, quæ ejusmodi libertatibus destituuntur. Nec interest, utrum privilegia illa ab Imperatoribus, aut Domino territoriali profluxerint, modo aliunde constet de subjectione, qua territoriali Domino tenentur. Alia enim quam mediata & immediata in I. R. G. subjectio non datur. Civitates Imperio immediate subjectæ superio-*

riorem, præter Imperatorem & Imperium, non agnoscant, licet ex jure servitutis vel protectionis forsan, der Schutz und Schirm: Gerechtigkeit, jura quædam in ea exercent Princeps vicinus. Liberæ idcirco audiunt, a superioritate nimirum territoriali, qua ipsæ gaudent, nec refert liberæ Imperii, freye Reichs: Städte, an vero simpliciter Imperii Reichs: Städte eas appelles. Quæ vero mediate Imperio subsunt, non possunt se Principis sui superioritati territoriali subducere, quæ ipsa demum mediatam illam subjectionem efficit. Hæ municipia audiunt, quorum alia aliis, ob eximia sua privilegia, multum præcellere posse, concedo, id tantum negans, quod civitates excellenter privilegiatæ territorium in territorio constituere possint. Interim admitti posse terminum, territorium subalternum, putarem, dummodo ultra civitatem vel districtum aliquem egregie, salva superioritate, privilegiatum, notio ejus non extendatur. Omnis ergo civitas municipalis, quantis quantis coruscet privilegiis, superioritatem Principis sui territorialem agnoscere debet, quam etiam plurimæ earum, quæ mixtas se, seu territoria subordinata gloriantur, in totum non recusant, nominantes se Erbunterthänige Städte, licet specialium quorundam superioritatis jurium exercitium Principi denegent. Agnita vero superioritate territoriali, ad argumentum Sphi præced, ejusque resolutionem, tota res redit.

## §. 23.

Hactenus in relatione casuum quorundam, in quibus suprema Principum Inspectio maxime necessaria est, occupatus fui Non deficiunt alii plures, quos omnes generalitate asserti, quod per totum territorium sese diffundat

Inspectio suprema comprehensos volo. Iam alia incidit quæstio: *quando eam exercere Principi liceat?* Sunt, qui tunc demum ipsi locum esse contendunt, quando ex abusu vel libertatis naturalis vel juris concessi, detrimentum capere Respublica incipit. Sunt alii, qui querelas antecessisse & justam ad minimum causam, suspicionem & famam, de perverso vel illicito usu, præsuppositam volunt. Quum vero, ad damna Reipublicæ undecunque obvenientia antevertenda, competat Principi suprema Inspectio, quumque consultius fit, in tempore malis præcavere, quam vulnerata jam causa remedium quærere; consequens est, salutis publicæ, quæ suprema Imperii lex esse debet, rationem absolute requirere, ne ad tempus certum, vel causas aliquas restringatur. De Inspectione suprema in sensu latiori hoc eo certius valet, quo generalior est, & necessario Politiam sublimem antecedit. Tempestive causa malorum removenda est, antequam in detrimentum Reipublicæ magno impetu eruperunt. Quod ad specialio-rem significatum, quum in inquisitione consistat, quomodo juribus concessis utantur privilegiati, non minus asserere licet, eam quocumque tempore exerceri posse. Proclivis ad abusum humana natura metu Inspectionis optime coercetur. Facilius quoque in ipsa nativitate sua suffocatur, prurigo Reipublicæ, ob interesse privatum nocendi, quam matura jam facta eradicatur. Tunc vulnus immedicabile, ense recidendum est, ne pars sincera trahatur, quum antea leniora correctionis & comminationis remedia suffecerint. Non nego tamen, querelas subditorum & abusuum frequentiam, Principes, ut plurimum, ad exercendum Jus supremæ Inspectionis excitare. Id vero inspectionem, re adhuc integra instituendam, non exclu-

excludit. Cumque suspicionem non necessario præsupponat Inspectio suprema, non possunt se ob contumeliæ metum ei subtrahere subditi. Gloria eos manet, qui obligationibus suis erga Rempublicam satisfecerunt, & publicum merentur contemptum, qui potestate sua abusi sunt. Quid quod animi pravitatem, & pessimam prodit intentionem, quicumque Inspectionem supremam declinare studet.

§. 24.

Modi inspiciendi, quum a Principis arbitrio, & cujusvis territorii convenientia dependeant, sunt admodum diversi. Est enim Inspectio, vel ordinaria vel extraordinaria, & hæc iterum, vel mediata vel immediata. In Politicis ordinarie per illustre illud collegium, cui universi regiminis cura demandata est, exercetur jus Inspectionis supremæ. Integrum tamen Principi foret, singulis districtibus singulos præficere Inspectores, nec jura eminentia majoribus universitatibus & civitatibus concessa impedire poterunt, quo minus Inspectorem perpetuum constituat Princeps, qui ejus nomine exploret, videat & præcaveat, ne contra superioritatem quidquam moliantur. Uti in genere salvis omnino juribus & privilegiis subditorum peragitur Inspectio, ita quoque nullum exinde detrimentum caperet magistratum auctoritas, quum Inspectoris non sit, in usu legitimo jurium suorum magistratum turbare, sed eo prospicere, ne in abusum rapiant, summo studio inhibendum. In ecclesiasticis Superintendentes ordinariorum Inspectorum personam gerunt. Extraordinariam autem dico Inspectionem, ubi eodem tempore, quæcunque ad statum, vel ecclesiasticum vel politicum pertinent, sub censuram vocantur, quæ Visitationis

ecclesiasticæ, vel provincialis nomine venire solet. Utramque immediate, totum percurrendo territorium, expedire posse Principem nemo negabit, & optime certe salutis publicæ, per ejusmodi visitationem, consuleretur, quum quantum Principis præsentia possit, dici vix queat. Ob varia tamen eam comitantia incommoda disuadetur ut plurimum, maxime quum cordatorum aliquot viro- rum, cum sufficienti potestate delegatio sufficiat, qui nomine & auctoritate Principis querelas subditorum audiant, in officialium magistratuumve gesta inquirent, & in genere omnia Reipublicæ menda fideliter annotent. Sed proprie me non tangunt hæ visitationes provin- ciales, de quibus, utiliter instituendis, scripsit *Abaso*. FRITSCHIUS, non sine ratione omnibus Imperantibus eas commendans. Qualiscunque tamen sit modus Inspectionis, forma aliqua inquisitionis observanda erit, ut scil. ipsi privilegiati examinentur, scripturæ eorum concernentes v. g. libri rationum revideantur, aliique, qui notitiam earum rerum, quæ in quæstione sunt, sufficientem habere possunt, testium quasi loco produ- cantur, quorum depositiones vel ad convincendos pri- vilegiatos, de excessibus facient, vel gloriosum innocentia testimonium ipsis præbebunt.

## §. 25.

Ut Reipublicæ salus conservetur & promoveatur, unicus Inspectionis supremæ finis est, cui obtinendo non sufficit quidem, viam tamen proximam ostendit. Quid- quid enim salutis publicæ prodesse, vel obesse possit, sedulo inquirat. Quumque ex perverso juri, Regali maxime, cum subditis communicatorum, usu, gravissima in Reipubl. redundent incommoda, abusus omnes

omnes, quantum fieri potest, præcavet, qui nihilominus irreperunt, tempestive detegit. Tunc politia sublimis, tunc Reformatio eam excipere debet, quarum præparatoria est. Legibus bono publico consulendum est, ne quidquam negligatur, quod commodum, nec committatur, quod detrimentum ipsi afferre potest. Reformatione opus est, ut abusus præsentis tollantur, de qua quomodo instituat, binis differere non incongruum videtur. Per abusum jura, a privatis acquisita, amitti, juris communis est. Sed non ita facile divina Principum indulgentia ad extrema progreditur, nisi præfracta privilegiati contumacia aliud luadeat. Detectis per Inspectionem supremam mendis, monere solent Principes privilegiatos, ut, sublatis abusibus, publicæ saluti periculosis, imposterum intra terminos suæ concessionis se contineant. Normam, in exercitio privilegii, exacte observandam, utiliter addunt; quam si denuo transilierint, vel in excessu vel in defectu peccando, ad privationem summo jure devenitur. Ita per gradus procedi, nisi nimis gravis sit abusus, docent CARPZOV. *L. I. Resp.* 53. n. 12. GAIL. *L. I. Observ.* 17. n. 4. BRUNNEMANN *ad L. 2. ff. de his qui sui vel al. juris*, SCHÖPFER *in Synopsi Pand. tit. de Jurisd.* n. 37. Ita quoque judicavit Camera Imperialis in nupera notoria sententia, daß solchen Falls, si non, respectivè omittatur, vel fiat, quod erat in themate, denen Herrn Herzögen als Landes-Herren dergleichen Mißbräuche : : : nach Recht und Billigkeit aufzuheben, der Stadt ein neues Stadt-Recht, und zwar in contumaciam, zuertheilen, auch sonst, bedürfenden Falls, sich seiner Landesherrlichen Oberaufsicht, rechtlicher Art nach, zu gebrauchen, ohnbenommen, sondern vorbehalten. Parti-

Particularis est hæc reformatio, sed generalis nonnunquam requiritur, quæ si integra Respubl. laboret, medelam adferat. Est vero hoc jus reformandi, sine dubio, Majestaticum, & in territoriis J. R. G. superioritatis territorialis. Nulla enim in civitate norma agendi, ab alio proficisci potest, quam ab eo, qui clavum Imperii tenet. Hujusmodi reformatio, quamvis summa se commendet utilitate, ardua tamen est, & Solones atque Lycurgos desiderat.

EPILOGUS.

Hæc, ex materia tam ampla, delibasse sufficiat. Plura & instituti ratio & temporis penuria prohibet. Utraque me, si conatui eventus non responderit, excusabit, uti utraque Ius supremæ Inspectionis, pro dignitate sua, quod sponte confiteri, quam ex aliorum judicio experiri malo, nondum excussum dimittere coegit. Debita ergo Summo Numini, pro clementissime indultis, ad studia absolvenda, viribus, gratiarum actione publice persoluta, primis his lineis D. V. ulteriorem aliquando limam additurus, Disfertatiunculæ pono

FINE M.



COROLLARIA.

- 1) Inspectione suprema sæpius supersedere posset Princeps, si strenue ubique observaretur, quod Art. IV. Lib. I. Tit. 1. Jur. Lub. sapientissime dispositum est.
- 2) Minus accurate dicti Artic. latinæ versioni, quæ minus, quam Textus Germanicus comprehendit, imputandum videtur, quod in desuetudinem pluribus locis abierit statutum saluberrimum.
- 3) Cuneum huic dispositioni addit Lex Julia Reperundarum, nec captanda tamen erit L. 6. ff. §. 2. ad L. Jul. Reper., quæ dominis munera accipere permittit, dummodo centum aureorum summam quotannis non excedant.



PRAENOBILISSIMO  
ATQVE  
DOCTISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO,  
SPALDINGIO

SVO HVMANISSIMO,

FELICIA PRECATVR,

PRAESES.

F

Sta





*Sic juvat ire ! Hoc lemma, Vir Consultissime ! Tibi inscribendum, incidit mihi, calamum arripienti, ad scribendum gratulationem tibi debitam. Vidi, Te, Viri Præstantissimi atque Consultissimi, Domini Doctoris SPALDINGII, Syndici Rostochiensis Excellentissimi longeque meritissimi, Fautoris & Amici Mei, per non interruptos triginta fere annos, probatissimi atque suavissimi, Filium, ad magna natum, a prima juventute, ire per pietatis studiorumque humaniorum studia, Vidi, Te, scientias philosophico*

sophico - juridicas undique colligentem & adjeci etiam  
meum qualemcumque doctrinæ teruncium. Vidi, Te,  
non oculis, sed mediate, per referentes, post consumptos,  
in hac Academia patria, annos, in Gœttingensi Helicone,  
euntem, ad Viros, in omnibus, scientiarum nostrarum,  
partibus, instruentes, Vidi, post biennium cum dimidio,  
Te, ad nos redeuntem, saluum sospitemque atque do-  
ctrinis instructissimum ornatissimumque, Vidi & audivi  
Te, in examine, pro Doctoratu subeundo, mascule pro-  
bantem, quod fidelissime didiceris artes. Sic juvabat ire,  
per juris campos spaciosissimos, Ambula nunc in jus,  
ceu erat in formula Romana, quoties actor reum in jus,  
stante pede, vocabat vel interdum comperendinabat.  
Ambula cum jure in jus atque præsta Te, in muneribus  
& expediendis, quæ divina providentia Tibi destinabit,  
Virum. Loquere ubique ut videaris. Comperendino  
Te, ad diem Martis proximam, ad Auditorium Acade-  
micum; habebis ibidem actores atque judices O. O. multos.  
Ora causam tuam confidenter, Polliceor Tibi & absque  
mecum

mecum inita confœderatione, victoriam, salvo tamen illo singulari, quod, utut victor, tamen in expensas condemnaberis. Ita, sub tutela divina, esto splendidae familiæ Tuæ insigne ornamentum. Memento autem semper mei benevole. Quod hoc tuæ eruditionis specimen attinet, tuam plane pleneque & cum omni causa hanc esse disputationem, totus testor, nuncupo atque profiteor. Dab. Rostochii, ipsis Calend. Majalibus, Anni MDCCLVII.



